Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1137
Quelle:
Copyright:

nonas Julij feria secunda post festum gloriose uirginis et martiris margarethe 1460. et complectitur sequentia: I. *Petri* a loco natali dicti *Blesensis*, Archidiaconi in *Anglia* primum *Bathoniensis* dein *Londinensis*, fato functi anno 1200. *Epistolas* CXXXVII. ex CLXXXIII. quas exhibet *Petrus de Gussanvilla* in edit. Opp. *Petri* nostri *Paris.* 1667. f. quasque duabus in cassum *Edm. Martenius* T. I. *Anecd.* p. 639. augere voluit, cum hae *duae* Epistolae jam inter *Gussanvillanas* sint numero CXLIII. et CXLIV. Codex porro noster plerumque cum impressis consentit. Sunt tamen, quae moneam. Ordo Epistolarum alius est. Epistola *ad Clericum negotiatorem* in impressis *17ma*, nobis *fol.* 17. p. 2. longior est in *Cod.* his sub finem adjectis: *uel saltem his pretermissis nostra blanda exhortacio. Quos enim cruciamenta non corrigunt. nonnunquam ab antiquis actibus leuia blandimenta compescunt. quia et plerosque egros quos fortis pigmentorum pocio curare non valuit. aqua tepens ad salutem pristinam reuocauit. et nonnulla vulnera que curari incisione nequeunt. fomentis olei sanantur. et durus adamas incisionem ferri minime recipit. sed leui bircorum sanguine mollescit. et vtinam maturius animum tuum nostra mollescat humilis et priuata correctio quam publice correctionis et obiurgationis aspera inuectio.* Desunt haec etiam in ipsa editione principe *Epistolarum* nostrarum *char. gotb. rudi, s. l. et a. f.* cujus raritatem mirum quantum extollit *Hambergerus* in *Zuverl. Nachr. v. d. vornehmst. Schriftst.* P. IV. p. 304. Epistola *ad Abbatem recenter electum* in impressis *134ta* prolixiorem habet in *Cod.* nostro *fol.* 60. ingressum ad hunc modum: *Cum bone memorie abbas philippus nomine tributum mortis exsoluerit testimonio eius prophete. fedus cum morte percussimus omnes. qui in nobis responsum mortis habemus. electus es pater carissime a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis ecclesie. pro patribus nati sunt tibi filij. et iuxta uerbum amos dominus suscitat de filijs prophetarum ac iuuenibus nazareos. Sic ueteribus amicis euanescentibus noue propagines ad ulteriores et dulciores fructus amicicie coalescunt. De vestra gloria glorior. quia secundum nomen magnorum qui sunt in terra uestra. magnificauit dominus uobiscum misericordiam suam, si tamen* &c. ut in impressis. Tres ultimae in *Cod.* Epistolae inscriptae: *Contra Clericos voluptati deditos. Contra Clericos qui consanguineos ditant. Contra curiales.* nihil aliud sunt, quam laciniae *Cantilenae de Lucta Carnis et Spiritus* ex Epistola *ad G. de Alneto*, quae et in *edit.* principe et in *Gussanvillana* est numero *57ma*. Prima incipit: *Qui habet aures audiat.* Altera: *In nouam fert animus.* Tertia: *Quod amicus suggerit.* Ad calcem minio scriptum: *Libri huius compago inscribitur Magistro Blesen. petro Sed exaratur calamo fratris Wolfgangi*